

AD SANCTISS. D. N.  
**GREGORIVM**  
 XV. PONT. MAX.  
 BERNARDINI BERNARDINII.  
**O R A T I O**

*Habita dum eidem Reipublice Lucensis nomine obedientiam prestaret., una cum Stephano Bonuifio, & Andraea Sbarra, Pridie Non. Maij, 1621.*

ROMAE  
 1621  
 SUPERIORVM PERMISSV



ROMAE, Apud Alexandrum Zannettum . 1621.  
 SUPERIORVM PERMISSV.

*Imprimatur,*

Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.  
*P. Episcopus de Curie Vicefg.*

---

*Imprimatur,*

Fr. Vincēntius Bastólus Mag. & Soc. Reuerendiss. P. Fr.  
Hyacinthi Petronij Mag. Sac. Pal. Apost. Ord. Præd.



## O R A T I O.



Q UOD publicis omnium  
votis expetitur , atque  
intimis , apud Deum , Ec-  
clesiæ lacrimis , flagitatum  
est , ut cum sibi Vicarium  
eligeret , ex omnibus , qua-  
lem deceret esse virum , omnibus imperatu-  
rum ; Illud sanè , pro eo , ac exoptatum fue-  
rat , cumulatisimè perfectum videmus , dum  
te ( BEATISSIME PATER ) in isto solio  
Maiestatis , & quodam veluti in Cælo collo-  
catum , ex hac nostra humilitate , tamquam  
è terris , hodierna primum die , suspicimus ,  
& veneramur ; ut mirandum minimè sit , si  
desiderijs , voluptas , ubiq. respondeat ; Ne-  
que enim par est , ubi vota omnium fuerant ,  
sortitis exitum votis , lætitiâ esse paucorum .  
Neminem vsquam arbitramur esse , qui de tua  
ad Pontificatum ascensione , non gaudeat ;

A 2 om-

omnes hominum ordines, omnes Terrarum  
Oræ; Regna, Prouinciæ, Dominatus omnes,  
qui te honore isto dignissimum ante censue-  
rant, suo deinde tempore, delatum tibi cum  
intellexerint, & mèritis erga se tuis, & suo de  
te iudicio, fatis omnino factum esse lætantur;  
Et hunc quidem iustissimum gaudij sensum,  
de singulis planè regionibus augurari nos fa-  
ciunt, virtutes tuæ, & par muneri Pontificio,  
dignitas; Verum de Senatu, Populoq. Lu-  
censi, certò profiteri iubent, & nostrorum  
Ciuium animi (*quorum nos sumus interpre-  
tes*) & voces, plaususq. populares, & gratiæ  
immortali Deo iam redditæ; Et hæc ipsa le-  
gatio, quam nupèr, eius voluntatis expri-  
mendæ causâ suscepimus; Vtinam hodiè, pro  
Maestate tui nominis sustineamus. Planè,  
Senatus noster, hoc saltem nomine, sibi præ-  
cæteris plaudit, in hac hominum gratulatio-  
ne communi; quod, cum pleriq. alij Princi-  
pes, opibus ei, & Imperio præstent, omnium,  
certè, primus esse voluit, huius significatio-  
ne læritiæ: Optarem hic ego, Reipublicæ Lu-  
censi, sicut vnum est cor, sic quoque vnam  
linguam esse, vt, ante sanctissimos tuos pro-  
uoluta pedes, sensum illum æquisimæ vo-  
lupta-

luptatis , non per interpretes animi sui , sed ipsa, per se , sui pectoris arbitra testaretur ; Nunc vero ; cum me, omnium nomine , delegerint, vt muneris eius subeam vices ; Gratulor primum mihi , dicendum esse, in hoc totius Orbis Augustissimo Theatro, apud eum, cuius , quantum animos terret Maiestate sublimitas , tantum facilitate instaurat humanitas ; Gratulor Romanæ huic Vrbi, Principem illum, quem aluit tandiù , atque educavit in sinu , & veluti manu duxit, per omnes honorum gradus , ad culmen excelsissimum dignitatis ; Gratulor Patriæ tuæ, & nomine , & ( quod caput est ) omine, bonorum omnium altrici Bononiæ, parentiq. Pontificum maximæ, quæ , vt olim, sibi gloriæ duxit, cum te filium, & alumnum suum , Pastorem quoque, ac Patrem venerata est, ita nunc, ad reliquos houores suos , factam esse pulcherrimam accessionem videt , quod , eundem te, Pastorem Populorum omnium, vni- que , secundum Deo , Principem videt ; Gratulor maioribus tuis , qui , quamquam antiqua , primaria, planèq. sua nobilitate præstarent, Nunc , etiam à te , lucem adiungunt splendori suo , & in isto tuo lumine, lumen

accipiunt immortalitatis . Gratulor summo-  
rum retro Pontificum iudicio , qui sapien-  
tiam , prudentiamq. tuam , maximis parem  
muneribus censuerunt ; Gregorio xiiij. qui te  
Romani Senatoris à latere voluit esse, hoc est,  
munus subire illud , quod idem ipse Ponti-  
fex primum Romæ subierat ; Clementi viij.  
qui te Romanæ Auditorem Rotæ , in qua ,  
idem ipse fuerat aliquando Iudex , instituit ;  
Paulo postremum V. qui te , grauissima le-  
gatione perfunctum , sacra purpura cohon-  
stauit ; Gratulor huic sacrosancto Cardina-  
lium Senatui , qui tanta consensione, sub ipsa  
prima initia Comitiorum, summam tibi po-  
testatem sapientissime decreuerunt , vt opti-  
me declarauerint , & qualis eorum esset ,  
quam explorata, tuæ virtutis opinio, & quam  
certus accederet, Diuini spiritus , tibi suffra-  
gium deferentis, afflatus . Gratulor Christia-  
næ Reipublicæ vniuersæ quod eum sit sortita  
Pontificem , cuius vbiq. inspecta virtus est ;  
Prudentia falli nescia, & fallere vicissim igno-  
ra simplicitas ; Iustitia quam nihil inflectat ;  
Munificentia cum delectu meliorum ; sine de-  
lectu caritas ; Humana seueritas ; Benigna  
Maestas ; Religio, Pietas, quæ simul omnia,  
qui

qui velit exprimere, dicat, vno verbo, GREGORIUS. Quid hic ego commemorem eximia dexteritatem tuam, omnibus exploratam, & hac potissimum tempestate necessariam, ad pacem ubiq. pulcherrimam stabiliendam? cum praesertim, ante paucos annos, praecellens adeo illius specimen dederis? Eo nimirum tempore, quo, non dum ad summum hoc imperium euectus, non tanta, quantum nunc auctoritate communitus, inter duos potentissimos exercitus pacem statuere potuisti. Gratularer ad exitum tibi (B. ME PATER) quod, satis viderem factum, meritis tuis, satis omnium votis, satis muneri Pontificio, satis honori (qui te honor ambire cupidius consuevit, quam caeteri mortaliu, honores ipsos ambire solent (si quidem honorem a te, etiam honor expectat.) Gratularer haec, inquam, omnia, si tibi quoq. factum intelligerem satis, qui, cum honores oneri ducere solitus sis, in gradu isto altissimo constitutus, vides, quantum tibi pondus incumbat, quae vero pondus integant, ornamenta, perinde non curas; sed parendum omnino fuit, imperanti, tam apertis indicijs, Deo, qui muna, licet natura grauisima, leuiora tamen iuben-

iubendo facit : Quamq. alleuabit oneris huius partem, amor omnium erga te maximus, & , ab vna tua voluntate , pendentes animi populorum : Alleuabunt virtutes tuæ , quæ tanto sunt magis , oneri sustinendo pares , quanto se esse minus intelligunt : Alleuabit virorum Principum, gratulatione non minor alacritas , qui tibi se, tuasq. opes , in rebus arduis , fore promptissimas pollicentur ; Vtinam , vt voluntate , sic viribus , Lucensis nostra Respublica valeret, quanto libentius, tuis se nunc obsequijs deditaret, sed hoc virium , quantum , quantum est, tuum est, (B. ME PATER; ) Nimirum, hæc Vrbs, quæ primis ipsis Christianæ Religionis initijs ; Prima inter Aetruriæ Ciuitates, lucem Euangelicæ veritatis aspexit, ( vnde potissimum fert acceptum, quod sola nunc ex illis antiquissimæ, ac dulcissimæ suæ libertatis beneficio fruitur ) hæc, inquam , ipsa Vrbs , eo libentius , hoc etiam tempore , fidem , quam prima suscepit , prima testatur , Ac tibi, Petri , vicem gerenti , opem , operamq. suam, vires, animos , sanguinem ipsum, offert , ac vitam . Sic enim Senatus ipse , Populusq. Lucensis testatur ,  
Dum per nos AD SANCTISSIMOS  
TVOS



TVOS PEDES ADVOLVITVR LAETA-  
BVNDVS, TIBIQVE LEGITTIMO PE-  
TRI SVCCessori, OPTIMO, MAXI-  
MOQ. PONTIFICI, DEIQ. OPTIMI, ET  
MAXIMI PERSONAM SVBSTINENTI,  
DEBITAM OBEDIENTIAM, SINCERE,  
ATQ. EX ANIMO PRAESTAT, AC  
PRAESTITVRVM, SEMPER, IN PO-  
STERVM, CONSTANTISSIME POLLI-  
CETVR. Tu pro tua, qua potes huma-  
nitate, pollesq. Senatvm, ac Rempublicam  
Lucensem, excipe procliuius, ac tuere; Vt  
enim hanc recentem Romæ voluptatem  
amamus; Vt incrementa Religionis diligi-  
mus; Vt Orbis terrarum decus, ac salutem  
amplificari, cum primis, optamus, Vt quie-  
tem, tranquillitatem, ocium, vbiq. loco-  
rum statui, ac vigere percupimus, ita pre-  
camur Cæli, terrarumq. moderatorem, vt te  
( cuius saluti publica salus innititur ) incolu-  
men, valentemq. diutius, communibus om-  
nium votis, ac Reipublicæ Christianæ con-  
feruet. Dixi.

# GASPAR PALLONIUS

SECRETARIUS APOSTOLICUS

DOMESTICUS

GREGORII XV. SUMMI PONT.  
*nomine in hac verba respondit.*

**N**OBILIS Lucensis Respublica optima custos eius, in Summos Pontifices, atque hanc Sanctam Sedem obseruantia, & deuotionis, quam à Maioribus per manus traditam ad hanc vsque diem singulari Dei beneficio conseruauit, nunc ad S. D. N. per vos suos nobiles Oratores venerabunda de more accedit; & post exhibitum gratulationis officium de ipsius ad Summi Apostolatus fastigium euectione, coram hoc amplissimo Christianæ Reipublicæ Senatu debitam eius Sanctitati, & huic Sanctæ Apostolicæ sedi sincerè, & exanimo præstat obedientiam; cui quidem perpetuæ suæ obedientiæ, vt meritò ipsa vestra Respublica, acceptum refert, quod hæctenus suæ libertatis beneficio